

rum globi cum Sole oculis subjiciuntur, ac si Planetarum magnitudinis inter se & ad Solem ratio. juxta se positi essent. Atque hic rationem diametrorum, ad Solis diametrum, eam secutus sum, quam tradidi in libro de Saturni Phænomenis. Nempe Annuli Saturnii eam quæ 11. ad 37; Globi inclusi, ad eandem Solis diametrum fere, quæ 5 ad 37; Jovis, quæ 2 ad 11; Martis, quæ 1 ad 166; Telluris, quæ 1 ad 111; Veneris, quæ 1 ad 84; quibus nunc addo Mercurii, quæ est 1 ad 290 ex Hevelii observatione Anno 1661 habita; cum in Solis disco Mercurius conspiceretur, nostro tamen, non illius calculo.

Quomodo autem hæ nostræ magnitudinum rationes inventæ sunt, tum ex cognita proportione distantiarum à Sole, tum ex mensura Diametrorum, Telescopiis capta, eo, quem dixi, libro ostendi: neque adhuc video cur multum, ab iis quas tunc definivi, recedam; etsi nihil eis deesse non contenderim. Nam quod multi existimant, in metiendis apparentibus diametris, præstare lamellis nostris usum Micrometrorum quæ vocant, quibus fila tenuissima in foco Lentis majoris prætenduntur, nondum iis assentiri possum, sed aptiores esse lamellas virgulasve tenues arbitror, quas eo loco objiciendas docueram. Ex quo istud Micrometrorum inventum, itemque Telescopii ad organa Astronomica adaptatio, non multo post emanavit: non sine laude tamen eorum, qui in perficiendo tam utili invento elaborarunt.

Cate-